

et diuturna si fuerit, terra infunditur, et in lutum resolvitur, ut nulla in ea cultura fieri possit: sic et caro nostra quando abundantiore potu fuerit inebriata, nec spiritalem culturam accipere, nec fructus animæ necessarios poterit exhibere. Unde infert, quod si velimus ut ager corporis nostri bonos fructus proferat, non plus bibendum quam oportet; Ne per nimiam, inquit, ebrietatem ipsa corporis terra velut in paludem conversa, magis vermes et serpentes vitiorum generare, quam fructus bonorum possit afferre. Deinde subdit: Omnes ebriosi tales sunt, quales paludes esse videntur: totum enim quod ibi (in paludibus) nascitur, nullum fructum habere cognoscitur; nascuntur ibi serpentes, sanguisugæ; nascuntur ibi ranæ, et diversa genera vermium, quæ magis horrorem possint generare, quam aliquid quod ad victum proficiat exhibere: istæ enim herbæ, vel arbores, quæ aut in ipsis paludibus, aut circa ripas earum nasci solent, nihil utilitatis habere videntur, in tantum ut annis singulis incendio concrementur. Videte, quia quod de ebrietate nascitur, igni præparatur. Eandem similitudinem attingit D. CHRYSOSTOMUS loco citato. D. BASILIUS homil. in ebrietatem: Periculum, o miser, est, ne pro homine canum lutumque fias: sic penitus vino deditus marcescis, ac quotidianam crapulam haud aliter quam vasa putida oles.

Quarto, facit hominem bestiis similem, et etiam viliozem. D. AUGUSTINUS supra: Considerent ebriosi, si non pejores animalibus judicandi sunt; cum enim animalia amplius quam eis opus est, bibere nolint, illi et duplum, et triplum quam eis expedit, potum accipiunt; et unde trium vel quatuor dierum refectioem poterant habere, uno die cum grandi peccato contendunt perdere potius quam expendere. Et utinam potum tantummodo perderent, et non etiam ipsi perirent! D. BASILIUS sup. Qua in re dic homo miser, a brutis differis? nonne rationis munere, quam a Deo omnium conditore accepisti, reliquæ creaturæ factus dominus et imperator? hoc igitur te mentis lumine per ebrietatem privans, inter bestias ratione carentes numerari poteris, et illis similis videri. Hæc sane est præcipua injuria, quam ebrietas per se et proxime dignitati naturæ rationalis, qua parte est imago Dei, infert; ob quam maxime diximus esse peccatum mortiferum. Addit S. BASILIUS: Imo et bestiis longe pejores existimaverim eos, qui ab ebrietate superantur; cum illæ coeundi stas habeant leges et horas; hi vero nullius temporis et horæ rationem habentes, nequissimis complexibus et amoribus inter se utuntur. Idem ostendit ex usu sensuum: Nec solum eo pejores brutis, quod mente insani, sed etiam quod sensibus longe infra illa deficere videantur. An non umbras sæpenumero tanquam fossas, vel loca prærupta transiliunt? aures terrifico sonitu, tanquam fluctuantis maris refertas habent, terra interdum insurgere et in rectum erigi, montes vero circumagi videntur? etc. His somni sunt graves, ac revera morti vicini: vigilæ vero somnis stupidiores: Insomnium quoddam est vita ipsorum, etc. D. CHRYSOSTOMUS homil. 58. (al. 57.) in Matth. Quanto melior asinus ebrioso est? quanto canis præstantior? omnes certe animantes, quæ rationis expertes sunt, cum bibunt aut comedunt, ultra quam satis, etiamsi mille homines cogerent, nunquam elabuntur; pejores igitur irrationabilibus vos estis, qui inebriamini; quod fusius deinde prosequitur.

Quinto, secreta prodit, Proverb. 31. Nullum secretum est ubi regnat ebrietas. Hujus rei multæ extant historiæ; hinc Horatius:

Reges dicuntur magnis urgere culullis,

Et torquere mero, quos perspexisse laborant.

D. AMBROSIIUS de Elia et jejuniis cap. 17. Plerique etiam vino utuntur ut equuleo; et quibus tormenta non eliciunt vocem prodicionis, eos tentant bibendo; ut patriæ statum, salutem civium, defensionis suæ prodant consilia quis inter cyathos texit quod latere cupiebat?

Sexto, ad mores absurdos et gravia crimina excitat; hos exprimit ex parte D. BASILIUS supra. D. HIERONYMUS in c. 1. epist. ad Titum, explicans illud, Non vinolentum, ait: Longum est ire per singula, et insanias, quas ebrietas suggerit, explicare. Videas alios pocula in tela vertentes, scyphum in faciem jacere convivæ: alios scissis vestibibus in vulnera aliena prouere, alios clamare, alios dormire; qui plus biberit, fortior computatur: accusationis occasio est, adjuratum per Regem, frequentius non bibisse; vomunt ut bibant, bibunt ut vomant; digestio ventris et guttur uno occupantur officio. Deinde addit: Hoc nunc diavisse sufficiat, quod secundum Apostolum, in vino luxuria est, et ubicumque saturitas atque ebrietas fuerint, ibi libido dominetur. Specta ventrem et genitalia; pro qualitate vitiorum, ordo membrorum; nunquam ego ebrium castum putabo. Nota gravissima verba tanti Doctoris. D. AMBROSIIUS de Elia et jejuniis c. 16. Ebrietas fomentum libidinis, ebrietas incentivum insaniam, ebrietas venenum insipientiæ; hæc sensus hominum mutat et formas; per hanc fiunt ex hominibus equi adhinnientes; si quidem naturali vapore corporis calidi, et præter naturam, vini calore flammæ cohibere se non queunt, et in bestiales libidines excitantur: et cætera, quæ elegantissime persequitur. Similia habes c. 12. et apud D. CHRYSOSTOMUM homil. 58. (al. 57.) in Matth. sub finem. S. BASILIUS homil. in ebrietatem: Ebrietas dæmon est voluntarius, ex voluptate animabus nostris inditus. Ebrietas malitiæ mater est, virtutis inimica, formem virum reddit ignavum, ex temperato lascivum, justitiam ignorat, prudentiam extinguit, etc.

Septimo, difficillime curatur: ratio est, quia vinum corporis habitum immutat, hepar accendit, fauces exsiccant, et siliculosos reddit; quo fit ut sitis bibendo augeatur, faucibus magis et magis arescentibus. D. BASILIUS, Denique hujus mali finis est nullus: ipsum tamquam merum inexplebilem continuo sitim addit; nec necessarium quærit usum, sed ad alium irrefragabiliter potum invitat, cum ardentibus ebrios et semper bibendi cupidiores reddit. D. AMBROSIIUS c. 14. Merito Deus per Moysen non solum veneno, sed etiam draconum veneno vinum comparavit, dicens: Furor draconum vinum eorum, et ira aspidum insanabilis, et pulchre addidit, insanabilis: multi enim a reliquo serpentum veneno curantur, nemo ab ebrietate.

Ubi adverte, locum illum Deuteronom. 32. positum ab AMBROSIO juxta editionem 70. Nostra lectio sic habet, Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.

Quomodo autem his curatio adhiberi possit, docet pulchre D. AUGUSTINUS serm. 231. Qui se de hoc malo desiderat liberare, quo modo sibi intervallo dierum potum addendo, ad ebrietatis tenebras pervenit; ita paulatim subtrahendo ad sobrietatis lucem redeat; qui si simul totum, quod amplius accipiebat, subtraxerit, ubi nimia siti cæperit exardescere, cum grandi amaritudine clamet et dicat, malle se mori, quam sibi bibendi et inebriandi consuetudinem tollere: nec attendit quod tolerabilius erat illi carne mori, quam in anima per ebrietatem interfici. Et ideo ut nec ardorem nimium patiat, et

de tam gravi malo liberetur, per intervalla dierum, sicut diximus, aliquid de nimietate potus subtrahat, quousque ad rationabilem bibendi consuetudinem redeat.

Hæc paulo fusius ex Patribus dixerim, propter fœdam hujus ævi apud multas gentes sese inebriandi consuetudinem; plura licet videre apud citatos, maxime AMBROSIUM ET BASILIUM.

144. *Petes 1º.* Utrum ea, quæ homines in ebrietate committunt, sint peccata, ita ut imputentur ad culpam.

R. Vel ebrietas est voluntaria, seu culpabilis, vel non est voluntaria. Rursum, vel malum inde secutum poterat prævideri, vel non poterat. Si non est ullo modo voluntaria, ita ut sit prorsus inculpata, quidquid ex ea secutum fuerit, etiam culpa vacat; non minus quam id, quod committitur ab amente. Ratio est, quia nullo modo est liberum: nec enim per se liberum est; nam cum agitur, deest usus rationis: nec etiam in causa; quia supponimus causam non esse voluntariam; talis erat nuditas Noe, ex ebrietate inculpata, consecuta: ignorabat enim vini efficacitatem, ut Patres docent. Ita communiter D. THOMAS q. 130. a. 4. Cajetanus ibidem, D. BONAVENTURA in 2. d. 22. art. 2. q. 3. ad ultimum, et alii.

Si vero ebrietas sit aliquo modo culpabilis, et malum prævideri poterat, (ut si alias erat expertus, in simili dispositione tale quid a se commissum; vel si dubitans non adhibuit sibi custodem, vel aliam cautionem) etiam ipsum ad culpam imputabitur. Et quidem si solum venialiter peccavit se inebriando, malum inde secutum solum erit veniale: si vero mortaliter, mortale. Ratio est, quia illud malum, v. g. homicidium in ebrietate commissum, non est in seipso voluntarium seu liberum, cum ab eo patretur, qui jam usu rationis caret; sicuti quod fit a dormiente: sed solum est voluntarium in causa, quæ est ebrietas; ergo non potest majorem contrahere culpam, quam ipsa causa hic et nunc habeat, atque adeo quam voluntas illa, a qua ebrietas illa dicitur voluntaria; ergo si hæc voluntas solum est venialis, illud malum, etiamsi forte sit homicidium, non imputabitur nisi ad culpam venialem. Confirmatur, quia tota culpa est in illa voluntate; et solum per denominationem extrinsecam tribuitur ebrietati et effectui secuto: nam ebrietas, et opus secutum solum imputatur ad culpam, quatenus ab illa voluntate pendet. Unde evidens est, non posse esse majorem culpam in opere secuto, quam in voluntate illa prævia ebrietati. Unde patet fieri non posse ut ebrietas sit peccatum veniale; et opus ex eo secutum imputetur ut mortiferum.

Fieri tamen potest ut ebrietas sit mortifera, et malum ex ea secutum, etiam alias per se gravissimum, non imputetur ad culpam, vel saltem non nisi ad venialem: *Ad nullam culpam*, si malum nulla ratione prævideri poterat; quod enim nullo modo est cognitum, nullo modo censetur voluntum, aut voluntarium, ut si nihil ei occurrit quod excitaret dubitationem vel timorem talis mali eventuri: quod facile accidit ei, qui nihil tale est antea expertus; vel si occurrit, humano modo sufficientem cautionem adhibuit: quo modo incestus Loth videtur fuisse inculpatus, etsi forte ebrietas ejus excusari non possit. Unde D. AUGUSTINUS L. 22. contra Faustum c. 44. dicit: *Inebriaverunt eum, et se nescienti miscuerunt: quapropter culpandus*

est quidem, non tamen quantum ille incestus, sed quantum illa meretur ebrietas. Idem docet S. CHRYSOSTOMUS homil. 44. in Genesim.

Ad venialem imputabitur, si aliquo modo prævideri poterat, ut si aliqua levis de eo dubitatio incessit animum et per venialem negligentiam major consideratio fuit prætermissa. Ratio est, quia etsi tenebatur ebrietatem sub peccato mortifero vitare, ob intrinsecam ipsius malitiam, ejus periculo satis animadverso; non tamen pari obligatione tenebatur illam vitare ob malum, v. g. homicidii; eo quod non satis ejus periculum adverterit, sed solum leviter; et in eo neglectu non peccaverit nisi venialiter, uti suppono. Confirmatur, quia in homicidio casuali potest esse peccatum veniale, ob defectum considerationis necessariæ ad culpam lethalem: atqui tale homicidium est casuale respectu illius hominis et voluntatis præcedentis; ergo, etc.

Quando autem perfecte quis advertit periculum mali; si hoc malum grave sit, tenetur sub peccato mortali vitare periculum. Unde si hoc etiam per se sit peccatum mortiferum, sicut est ebrietas; in voluntate illa prævia, qua periculum acceptat vel non vitat, erit duplex malitia mortalis; altera quatenus terminatur expresse vel implicite ad ebrietatem; altera ut respicit malum inde secutum: quarum alteram habet ab ebrietate, ut per se spectatur, alteram ab eadem, ut est causa continens periculum alterius mali.

Utrum autem ebrietas, ut rationis defectum denotat, et mala secuta dicenda sint peccata, potius ad modum loquendi, quam ad rem ipsam pertinet; quia constat totam malitiam moralem et culpam esse in voluntate, quæ ebrietatem antecessit. Si tamen proprie loqui velimus, potius dicenda sunt effectus peccatorum, quam formaliter peccata. Ratio est, quia non dependent a voluntate ut actiones liberæ, sed ut effectus consequentes, qui posita semel causa, non sunt amplius in nostra potestate; posito enim potu largiore vini, eoque in stomachum infuso, non est in nostra potestate ut non sequatur mentis defectus; et posito tali defectu, non sunt in nostra potestate opera quæ inde sequuntur: atqui de ratione peccati est esse liberum et in nostra potestate. Confirmatur, quia aliter actiones externæ peccatorum dependent a voluntate libera, aliter hæc opera; illæ enim ita dependent, ut omni momento sit in nostra potestate eas inchoare, vel non inchoare, et inchoatas abrupte, vel continuare. Unde ipsæ per se sunt proprie voluntariæ, laudabiles, vel vituperabiles, peccata, vel merita; quia secundum se assidue a voluntate pendent, et conservantur; et consequenter ab ea informantur, et veluti animantur ad unum perfectum opus morale constituendum. Hæc vero non sic, sed remote solum a voluntate libera pendent, nimirum quatenus libere facta est applicatio causæ: qua posita, necessario sunt secutura, nec amplius est in potestate nostra ea inchoare vel differre. Unde per se non sunt peccata, sed solum ut considerantur in libera applicatione causæ inebriantis, in qua dicuntur voluntaria.

Quod ut melius intelligatur, notandi sunt in proposito quatuor actus. *Primus* est, Voluntas illa, qua quis expresse vel implicite vult se inebriare; etiamsi videat periculum ex ebrietate impendere. *Secundus*, Actus potandi. *Tertius* est, Operatio vini, qua tollitur usus rationis. *Quartus* est, Homicidium ex ebrietate commissum. *Primus* est fons totius mali, et in eo residet tota culpa. *Secundus* est actio libera, assidue pendens ex illa voluntate: unde cum illa constituit integrum et completum opus morale. *Tertius* est

effectus secundi, qui posito secundo naturaliter et necessario sequitur. Quartus sequitur ex tertio. Itaque cum tertius et quartus per se non pendeant a voluntate libera, sed solum ratione secundi; non sunt etiam per se peccata, sed solum ut continentur in secundo, ut in causa.

Idem dicendum de omissione, quando ex aliqua causa libera sequitur necessario, ita ut non maneat amplius libera: ut cum ex ebrietate omittitur Sacrum, vel lectio precum; vel abjecto sponte Breviario lectio facta est impossibilis. Verum de his fusius agendum. 1. 2. q. 20.

145. *Petes 2º.* Quibus signis cognosci poterit an quis fuerit ebrius?

R. 1º. Quando quis postridie non meminit quid dixerit, egerit; quomodo domum venerit, aut cubitum concesserit, a quo deductus, vel adjutus, alias autem id probe meminisse solet; magnum signum habet hesternæ ebrietatis. Ratio est, quia dum quis ratione utitur, reflectit mentem super suos actus, et ita retinet gestorum memoriam. Unde si non retinuit memoriam, non videtur rationis compos fuisse.

2º. Si commisit quæ nunquam integra mente solet: ut si locutus aut fecit turpia et absurda, cum alias sit castus et prudens: si juravit, blasphemavit, uxorem et familiam turbavit, cum alias sit modestus et benignus: indicia enim hæc sunt rationem et prudentiam fuisse consopitam, et hos insolitos motus, ex vino perturbata imaginatione processisse.

3º. Qui novit discernere inter bonum et malum, licitum et illicitum, vitare mala ac eligere bona, non videtur esse ebrius, etiamsi non possit recta incedere, et omnes domus ei verti videantur: talis enim discretio non potest cum defectu rationis consistere. Pari modo si adhuc solita officia possit utcumque exequi, etsi cum vertigine, et difficultate. Vide Cajetanum verbo *Ebrietas*, et alios Summistas.

DUBITATIO III.

QUID LUXURIA, ET QUALE PECCATUM.

D. Thom. quest. 153.

146. *Luxuria* vel *luxuries* a *luxu* dicitur, et ab Auctoribus æque generatim accipitur: quo modo significat omnem excessum non solum in re venerea; sed etiam in vestitu, epulis, unctionibus, et similibus deliciis. Græci ἀσωτία vocant.

Stricte autem, pro excessu in re venerea accipitur: nam luxuriosus dicitur, teste D. THOMA, quasi luxatus et solutus in voluptates: maxime autem animum hominis dissolvunt voluptates venereæ. Hoc modo passim usurpatur a Theologis, et opponitur castitati, et vocatur ab Apostolo ad Galatas 5. ἀσέλγεια, quod intemperantiam libidinis significat.

Porro hoc vitium genere suo est peccatum mortiferum, et præterea vitium capitale. Esse peccatum mortiferum colligitur ex Apostolo ad Galatas 5. ubi *luxuria* ponitur inter *opera carnis*, de quibus ibidem affirmat Apostolus, quod *qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*. Et probatur ratione: Usus rei venereæ ex natura sua est opus necessarium ad naturam propagandam

et perennandam, sicut usus ciborum ad conservandum individuum; nam, ut inquit D. AUGUSTINUS de bono conjugali cap. 6. *Quod est cibus ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem generis*; ergo hic usus censetur res gravis et magni momenti in rebus humanis; ergo inordinatio in hoc usu, est in re gravi, ac proinde ex genere suo est mortifera. Confirmatur: quo enim bonum est excellentius, quod ex opere provenit, eo majoris momenti censetur illud opus; et majus peccatum et gravior error, qui in opere committitur: atqui propagatio nature et conservatio generis est bonum excellentius quam conservatio individui; ergo inordinatio, quæ committitur circa opus illud, est gravior, quam quæ circa cibum et potum. Sed de hoc plura infra, cum de speciebus agetur.

Esse autem luxuriam vitium capitale, docet D. GREGORIUS L. 31. Moral. cap. 31. et ratio est, quia ex hac, tanquam ex fonte, plura alia vitia manant: nam ex affectu delectationis venereæ homo multa alia peccata facit; vel certe sinit se in illa incidere, ut recte hic explicat Cajetanus a. 4. non enim est necesse ut omnes filię alicujus vitii capitalis oriuntur ex affectu illius, sicut electiones mediorum ex affectu finis, ut objicit Martinus; quia quædam vitia non sunt media ad consequendam v. g. delectationem luxuriæ, vel gulæ, quæ tamen ponuntur illarum filię: sed sufficit ut homo ex affectu illius paratus sit alia illa vitia incurrere. Si tamen mentem B. GREGORII spectemus, non est opus filias vitiorum capitalium restringere ad modum nascendi secundum rationem causæ efficientis, aut dispositivæ; ut cæcitas mentis, et similia, ex luxuria: mentis hebetudo et scurrilitas, etc. ex gula. Sed hæc res est parvi momenti.

147. Numerantur filię luxuriæ octo a D. GREGORIO supra, quarum rationem reddit eleganter D. THOMAS art. 5. nimirum *cæcitas mentis, præcipitatio, inconsideratio, inconstantia, amor sui, odium Dei, affectus præsentis seculi et horror futuri*. Ratio horum sic accipi potest: quatuor priora pertinent ad intellectum: quatuor posteriora ad voluntatem. In *intellectu* enim sunt quatuor operationes. *Prima* est, simplex consideratio, v. g. boni spiritualis, per quam homo dicitur bene apprehendere et intelligere quam bonum sit recte vivere, servire Deo, relinquere seculum, et similia. *Secunda* est, bona consultatio de mediis ad hoc exequendum. *Tertia*, examen et iudicium de modis et mediis occurrentibus. *Quarta*, imperium, quo ratio dat operam ut mandentur executioni. Hæc quatuor functiones turbantur et impediuntur per luxuriam; tum quia voluptas illa est vehementissima, et consequenter impedit considerationem et attentionem circa spiritalia, utpote totam animam et omnes ejus vires ad se violente rapiens; tum quia est infima, et secundum infimum sensum, et communis cum brutis: unde etiam mentem maxime deprimit, et in brutalem indolem format, perversa phantasia, et affectu hominis. Et quidem ut mentem reddit ineptam ad considerationem rerum spiritalium, earumque dignitatem apprehendendam, generat *cæcitatem mentis*: ut ad consultandum de mediis, *præcipitacionem*; immersus enim rebus carnalibus, ineptus redditur ad consultandum non solum de modo recte vivendi, sed etiam de alijs rebus; et ita præcipitanter omnia agit. Ut autem reddit ineptum ad recte iudicandum de mediis salutis, eaque expen-

denda, generat *inconsiderationem* : ut vero mollem et debilem ad exequenda bona proposita, ob speciem quamdam difficultatis, *inconstantiam* : etsi enim sæpe aliquid boni proponant, tamen quando animus imperare debet executionem, statim retrocedunt; asperitatis specie terri; ut pulchre D. AUGUSTINUS sui exemplo ostendit L. 8. Confess. c. 5. et 11.

Hinc patet, hoc vitio maxime everti *prudentiam* : nam actus supradicti ad prudentiam pertinent, et totam ejus vim et functionem comprehendunt; quod confirmatur ex Aristotele L. 7. Ethic. c. 11. *Prudens indolentiam persequitur, non voluptatem. Deinde prudentiam impediunt voluptates, eoque magis, quo quisque magis delectatur : qualis est ea, que ex rebus venereis percipitur : in hac enim neminem posse quid intelligere.* Hinc patet quam perniciosum sit hoc vitium omnibus, qui prudentia vel sapientia cæteris antecellere debent; ut sunt prælati, principes, gubernatores, iudices, consilarii, doctores, parochi, et similes.

In *voluntate* sunt operationes duæ, intentio finis, et electio mediorum. Intentionem pervertit hoc vitium, voluntatem trahendo ad delectationes carnis, et sic ingenerando *amorem sui* : quod intellige, non tantum quia homo hoc ipso, quod appetit voluptates venereas, inordinate se amat; sed etiam quia ita sensim æstimat carnem suam, ejusque voluptates, ut in eis finem ultimum collocet, omnes suas cogitationes et curas ad eas consequendas referendo. Hinc mox sequitur *odium Dei*, qui voluptates illas graviter prohibet et punit. Electionem pervertit, ingenerando *amorem hujus seculi*, id est, vitæ præsentis, et rerum hanc vitam oblectantium, quo ita istis inhærent, ut hic perpetuo manere exoptent; unde statim nascitur *horror et desperatio futuri.* Horror quidem, quia norunt se ibi his voluptatibus privandos, et earum loco penas gravissimas subituros. Hinc nemo magis horret mortem, quam homines voluptuarii; juxta illud Ecclesiastici 41. *O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis : viro quieto, et cujus viæ directæ sunt in omnibus, et adhuc valenti accipere cibum!*

Desperatio, quia vinculis concupiscentiæ constricti, desperant posse sese eripere, et salutem consequi.

148. Præter has luxuriæ filias, quæ internæ sunt, ponuntur ab ISIDORO quatuor externæ, *turpiloquia, scurrilia, ludicra, stultiloquia.*

Turpiloquia, quia *ex abundantia cordis os loquitur*, ut Dominus ait Matth. 12.; cor autem hominis luxuriosi (id est, cogitatio et affectus) turpitudine plenum est.

Scurrilia sunt verba aut facta parum honesta, risum moventia : hæc ex eodem nascuntur fonte : sicut enim fædi homines delectantur verbis turpibus, quibus actus venerei exprimantur; ita etiam aliis, eodem, etsi remotius, pertinentibus, iisque risum movere student.

Nec solum parum honestis, sed etiam *ludicris*, alias indifferentibus quæ ad jocos pertinent, impensius delectantur; unde videmus quosdam libidini addictos ex variis libris colligere turpes, scurriles, et ludicras narrationes et facta, ut ea in promptu habeant, cum in consortio sunt aliorum.

Stultiloquium sequitur ex cæcitate mentis; mens enim libidine cæca,

multa stulta, seu ratione carentia effutit. Vide D. THOMAM art. 5. ad 4. et D. HIERONYMUM in c. 5. ad Ephesios, ubi explicat quid sit stultiloquium, et scurrilitas.

DUBITATIO IV.

QUE SINT LUXURIE SPECIES.

D. Thom. quæst. 154. art. 1.

149. DIVUS THOMAS ex Gratiano 36. q. 1. c. *Lex illa*, sex species luxuriæ assignat; *fornicationem, adulterium, incestum, stuprum, raptum et vitium contra naturam*; cujus numeri ratio ut intelligatur, notandum est, principalem actum venereum, ad quem reliqui referuntur, esse spermatisin, seu seminationem; in quo dupliciter potest committi inordinatio. *Primo*, quoad substantiam illius actus; ut cum non fit in organo naturali, vel cum persona legitima. *Secundo*, quoad modum, vel alias circumstantias; ut cum inter conjuges in eo tantum peccatur, quod debitus modus in congressu, aut debita moderatio, vel congruum tempus, aut locus non servetur, etc. Luxuria generatim utramque inordinationem complectitur; sed hic accipitur et assignantur ei species ut dicit inordinationem quoad substantiam actus: hæc enim absolute vocatur luxuria, estque peccatum secundum speciem suam lethale. Inordinatio quoad modum, per se est solum luxuria secundum quid, et peccatum veniale in ratione luxuriæ; quamvis ratione sacrilegii annexi, vel scandali, vel pravi affectus possit esse mortifera; ut bene ostendit Cajetanus in art. 1. Hinc solvas plurima, quæ hic objicit Martinus.

Ratio autem harum specierum sic accipi potest: vel enim est inordinatio circa actum principalem, quod ita fiat ut non possit sequi generatio; et sic est peccatum *contra naturam*: aut quia ita fit ut non possit sequi commoda institutio et promotio prolis usque ad statum perfectum; et ita est *simplex fornicatio*, quæ est soluti cum soluta: aut quia fit cum persona incongrua; idque quadrupliciter. *Primo*, quia nimium propinqua; et ita est *incestus*. *Secundo*, quia alteri juncta; et sic est *adulterium*. *Tertio*, quia sub potestate parentis; et ita est *stuprum*. *Quarto*, quia non consentit; et sic est *raptus*. Simili fere modo D. THOMAS art. 1.

Sacrilegum concubitum refert D. THOMAS ad adulterium; quia personæ sacræ connubio quodam spiritali Deo sunt conjunctæ.

Inordinatio, quæ in tactibus et osculis impuris sita est et *impudicitia* dici solet, refertur ad illam speciem; ad quam disponit; ut si fiat cum alterius conjuge, refertur ad adulterium; si cum consanguinea, ad incestum.

150. *Dices*: Sicuti propinquitatis facit ut persona sit incongrua, ita etiam nimia distantia, ut si discrepet religione; majus enim peccatum est habere commercium cum Judæa, quam cum meretrice Christiana; ergo est statuenda aliqua species ratione discrepantiæ, sicut ratione propinquitatis.

R. Hoc peccatum pertinere ad sacrilegium: quia illa conjunctio est prohibita in honorem Christianismi ab Ecclesia. Simili modo, quando ex aliqua alia causa est inhabilitas seu impedimentum dirimens constitutum